PANDECTÆ PORPHYROGENITAE,

Siue Iuris, ac Iustitiæ Via Regia per quam S. IVO Iureconsultus honores æternos adiuit

ORATIO

Quam

AD EMINENTISSIMOS S.R.E. CARDINALES

Habuit in eiusdem Diui Æde Sacra

FRANCISCVS MARIA NAVARRA ROMANVS S.R.CLER.



Iuris ciuilis cognitio, atque interpretatio summo semper in honore fuit. Cic. pro Mur.

ROMAE Typis Dominici Marciani. M.DC.XXXXII.
SVPERIORVM PERMISSV.

EX TESTAMENTO VETERI.

Prouerb. 19. *Fœneratur Domino, qui miseretur Pauperum.*

Ibidem cap. 21. *Qui sequitur Iustitiam, & Misericordiam, inueniet vitam, iustitiam, & gloriam.*

Prouerb. 13. *Iustitia custodit innocentis viam.*

EX TESTAMENTO NOVO.

Epist. ad Hebr. cap. 19. *Noui Testamenti Mediator est (CHRISTVS), vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori Testamento repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis. Vbi enim Testamentum est, Mors necesse est intercedat testatoris.*

EMINENTISSIMO PRINCIPI

MARCELLO LANTES

S. R. E. CARDINALI

Sacri Cardinalium Collegij Decano.

FRANCISCVS MARIA NAVARRA VITAM, ET FEL.

PANDECTARVM nomen Plinius inter illecebrosas, & Magna promittentes inscriptiones numerauit: at debuit Iurisconsultus IVO per viam iuris laudari stylo Panegyrico quidem, desumpto tamen à Rhetorica Pandectarum ad regulas Iuris. Omne IVONIS ad honores æternos ius complexæ hæ Pandectæ Porphyrogenitę sunt, quia natę, ac educatæ inter conchyliata purpuratorum Senatorum peristromata. Salua res erit, si etiam ab Eminentissimo purpurę TVÆ ostro discant purpurascere, trahantque colorem, ac nomen Porphyrogenitarum. Imperatorijs Antiquissimarum Aquilarum pennis scriptæ sunt Pandectæ; quid ni ergò, bonis Aquilis, aduolent etiam ad Aquilas TVAS? Expande alas, Romana Aquila, & in Romano nido natum pullum vmbrà TVA dignare.

Pandectæ hæ Porphyrogenitæ vtroque nomine debentur TIBI, & ſuo, & meo: Suo quidem, quia Pandectæ ſunt Iuſtitiæ, quæ virtus eſt Cardinalis, & quia Porphyrogenitæ; meo verò quia meæ ſunt, qui ipſe ſum Tuus.

PORPHYROGENITAS iuris Pandectas Iustinianus Imperator purpurato sinu excepit; annales verò fastos, Pandectarum instar, omnem Iureconsultorum gloriam continentes condidit honor ipse, purpuratus amanuensis gloriæ, Iuriscõsultorũ Orator, historicus immortalitatis, E. E. P. P. vt proindè natæ, atque ad honores educatæ inter purpuras Pandectæ iure suo Porphyrogenitæ appellentur. Adeò verum est, Pandectis contentum vniuersum iuris corpus magnis Principum animis animari, neque iam Pandectas tantùm dici, quia omnes iuris, ac legum, sed quia omnes honorum omnium titulos sinu amplissimo complectantur; & accipiant, ac dent vicissim omnes, quos *dat Iustinianus honores*; ad quos optimè ascenditur per viam Iuris, atque Iustitiæ. Hac iuit ad æternos honores IVO, cui pro rostris in foro Iurisconsulto, & plebis infimæ Aduocato ipsa cum virtute eloquentia semper adstitit, & eidem ad aras vsque amica religio adfuit sanctissimo Sacerdoti, quando porphyrogenitam Iuris in IVONE scientiam regali Sacerdotio coronauit: vt ità coronata in Sancto IVONIS capite orbis magistra scientia, IVONEM per forum, ac templa, per aras, ac rostra, per Imperatoriam denique viam Iuris, atque Iustitiæ ad æternos honores deduceret, mihique iam tum dignum vobis thema dictaret, vt in regia hac Porphyrogenitorũ capitũ, Patrumq; conscriptorũ corona, velut in sacrosancto Sanctissimarum legum Sacrario, Pandectas Porphyrogenitas dicerem, idest, ius omne, per viam, & vocabula iuris deductà oratione complecterer, & rectissimam Iuris, & Iustitiæ viam, quà IVO ad æternos æternæ Vrbis honores ascendit, indicarem;

& vos videretis Regnum Cœlorum, quod vim patitur, & quod violenti rapiunt, ab IVONE fuisse per viam Iuris, ac Iustitiæ iure optimo acquisitum.

Qui sine vllo iustitiæ viatico, sine aureo virtutis filo, per æstuosam, & laborioso scholarum, librorum, ac fori puluere, pulueruIentam iuris viam iter fecêre ad honores, in labyrinthos incidêre, ac per viam difficilem perplexam, & sexcêtis ambiguisque flexibus, flexuosis męandris, diuerticulis tortuosis inuolutam, itineribus maximis, & semper deuijs, per fas, ac nefas errando fessi, nullum exitum reperêre ad gloriam; sed toto cœlo aberrauêre à via, totum iter gloriæ ignorantes. Honoris illa febris est, quâ sæpè ad insaniam vsque, ac mortē æstuant etiam sapientes. At verò illa, quam IVO viator inijt via iuris, aperta, simplex, directa, & ad gloriam proxima, & quasi compendiaria est. Quare quia illi in alto iuris Oceano, quasi in scopuloso, ac efferuescente fluctibus mari, totis velis, ac remis nauigabant ad consulatus, ad fasces, ad periculosa breuissimorum honorum breuia, velut ad inuentos pro scopo scopulos adhęsêre; iste plus vltrà temporum tempestates proferendos gloriæ suæ fines ratus, breuiore iuris itinere longiores, quia æternos honores pro scopo sibi statuit præfigendos. Quia verò honos alit artes, omnesq; accenduntur ad studia gloriæ, & minimis etiam momentis maximæ inclinationes temporum fiunt, & honorum; vt æternus honos IVONIS artes aleret, immortalibus honoribus educandam dedit Iuris prudentiam suam, accensus ad studia gloriæ nullius temporis, aut obliuionis iniuriâ moriturae, quæ vigebit memoriâ sæculorum omnium, quam posteritas alet, quam ipsa æternitas semper intuebitur. Quamobrem studebat æternitati,

nitati, dum studebat Iuri, non vt cautus quidam, & acutus leguleius esset, præco actionum, cantor formularum, syllabarum auceps, vt ait Orator Arpinas; verùm vt adæquaret, vel excederet minora æternis quærentes Sulpitios, Mutios, Valerios, factus Christianus quidam Scæuola iuris peritorum eloquentissimus, eloquentium iuris peritissimus. Hanc iuris ad æternos honores viam ita iniit IVO, vt nullam cũ Deo transigendi rationem, nullum, vt aiunt, *contractum nominatum*, aut *innominatum* prætermiserit, per omnes vias *emptionis, cambij, promissionis, emphyteusis*, & sexcenta alia iuris nomina, formulasque. Quandoquidem, inquiebat cum Deo rationes componens IVO, per iustam iuris viam vis me honores æternos adipisci: Domine immortalitatis Deus, ita mutuò contrahamus. *Do* mea, vt *des* tua; *do*, vt *facias*; *facio*, vt *des*; *facio*, vt *facias* ea, quæ te facturum scripto chyrographo iuratus promisisti. Totum ergò æternos honores accipiendi ius *in dare*, & *facere*, velut in pandectas collegit compendio; totum honorum æternorum seminarium ita in iuris via, ita *in dando*, & *faciendo* posuit, vt quam sudore longo, suo ære, ac Marte sibi cõparârat iuris eloquentiam, & commemorandâ imprimis, & trium iam sæculorum voce nec dum satis laudatâ beneficentiâ pretiosam, vocem suam non venalem habuerit, neque præmiorum inuitamento, ac mercedibus euocatâ, sed gratuitâ liberalitate explicuerit, quando augustissimo, solisque diuini iuris pandectis proprio aduocati pauperum titulo appellatus, domum suam totius ciuitatis, & clientum pauperum fecit Oraculum, è quo responsa quærentibus daret sine quæstu; vt suum illud *do, vt des; do vt facias* impleret. Nam beatius est da-

re,

re, quàm accipere;& sæpè bis dedit, qui id, quod iure suo accipere poterat ab alijs, non accepit. Ita nimirum IVO, vt æternos honores in foro emeret, causas fori non vendidit. Vndè illud immortaliter IVONI diuino planè Iurisconsulto gratulemur oportet, quòd in ea, quæ in quæstuosissimo emporio egentium celebrari solet nundinarum panegyri emerit lucra æterna, & panegyricos immortales. Tametsi enim ea, quæ parato, vt aiunt, ære à Deo emuntur bona emptoribus non statim det Deus, moram tamen annorum æternitate compensat. *Pactum certè præstare iuri, ac legibus* ait consularis ille Vrbis Orator, & Iureconsultus; additque *pacta, & promissa seruanda esse semper, quæ nec vi, nec dolo malo, vt prætores solent dicere, facta sunt*. Hanc itaque pacti viam cum Deo ita inijt IVO, vt sciret illum fide non lubricâ, sed diuinâ in pactis habere semper constantiam liberalem, & promissis maiora sæpè, non nunquam æqualia, nunquam verò minora præstare. *Decet* enim, si rem ad iuris regulas expendamus, *decet* non *concessum* tantùm, sed promissum etiam *à Principe beneficium esse mansurum, & quod semel placuit ampliùs displicere non potest, cum promissio debitum pariat; neque mutare consilium quis potest in alterius detrimentum*: quæ omnia in Deo Principe reperiebat IVO Iureconsultus Theologus. Et profectò si *Iustitia illa est, quæ suum cuique distribuit; si constat ex hominibus tuendis; si denique fundamenta iustitiæ sunt, primùm, vt ne cui noceatur, deinde, vt communi vtilitati seruiatur*; illud dicendo, istud *dando*, & *faciendo* perfecit IVO ad omnem iuris normam iustissimus, vtporè, qui sua omnia egenti cuique distribuerit, ædificâritque egenubus sub dio agentibus domũ, sibi verò ciuitatem æternam super hæc

fun-

fundamenta iustitiæ; seruatis pacti conditionibus, *do, vt des, & facias; facio, vt des, & facias*. An non *dedit* quando sua omnia effudit in illorum sinum, in quorum sinu abscondito Deo videbat sua omnia se debere? An non *dedit*, & *fecit* quando verecundantem, & latentem in tot maioris notæ domibus inopiam, ne vel palàm erubesceret in ingenua, liberalique, & ad opes, ac honores, non ad mendicitatem natâ fronte verecunda in rogando paupertas, & mendica nobilitas, ipse vltrò latentes adijt, & amicâ humanitate largè effuséque liberalis, *dando*, & *faciendo* abstersit pudentissimas lachrymas è vultu rubore infuso? Dignus profectò, dignus, quem infinitè repetitâ huius diei gratulatione, sexcentorum purpuratorum imitatione, honorum æternorum immortalitate donaret Deus. Sciebat nihil ad se pertinere leges illas: *Donis placare Deorum iram impius non audeto*, quia pius erat; *Donum ne capiunto, neue petendà, neue gerendà, neue gestà potestate*: quia licèt ambitus reus, ad honores tamen non per Cincij, sed æterni Iudicis leges adeundos dolo bono per fortunas incumbebat; ac *dando* nunc, postea *accipiendo* semper fortunatè, beatèque victurus, nusquam fortunatiorem faciebat in suis fortunis fortunam suam, quàm si illam æternitati imponeret *dando* semper, vincentem, *accipiendo* vincendam. Vt verò *daret* simul, & *faceret*, paruulis lacernulis sordidato tenero Dei epheborum gregi pater, mater, Magister, & omnia factus, vt Deus illi fieret omnia, suo ære paruulos illos non educauit tantùm, vt viuerent, verùm etiam vt probi, ac docti viuerent: vt quicquid minimis illis *faceret*, *faceret* maximo in minimis Deo. Quamuis autem in iure *ratum, quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum*, tamen

IVO-

IVONIS nomine, ac ære hæc gesta sunt; & *potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum*: ac *is qui facit per alium est perinde, ac si faciat per se ipsum* Quin etiã vt iure, quod aiunt, stricto *daret*, & *faceret*, suâ etiam operâ studioque tenerum illum ætatis florem in perennes & sapientiæ, & sanctitatis fructus erudijt IVO, Magister pauperum, vt pro eo, quod *dedisset*, minerual *acciperet*; pro eo, quod *fecisset fieret* laureatus doctor in Academia Dei. Sed & sanctissimo fœnore, & cambio viam sibi facturus ad honores emax honorum diuinus hic per cambium trapezita dabat in terris aurum, vt in Cœlo thesauros reciperet: Sciebat enim è codice, & sacris syngraphis habere se in Cœlo suis cambijs respondentem Deum. Simoniæ reum IVONEM dicerem, nisi non hos, sed æternos triumphantis Ecclesiæ honores emeret. *Dedit* etiam, *fecitque* IVO quando cum certo capitis periculo ne sacros thesauros per iniuriam acciperet profanus, & auarus furor effecit: *fecit* quando auditis regis Christi iudicis verbis, quibus iustos æterno Regno donandos extollebat in Cœlum diuinâ panegyri commemorans pastam suam ab illis famem, leuatam sitim, tectam nuditatem; impleuit omnia. *Dedit* quando nudum in obuio rogatore Christum suâ veste contexit. *Dedit* cum illum suæ mensæ hospitem accepit, vidit, agnouit. *Dedit* denique quando nudos suamet nuditate vestiuit, adeò vt vir talis, ac tantus nudus domi suæ latuerit immortalitate vestiendus & gloriâ. O admirabile huius Iureconsulti iurisprudentissimi in honoribus æternis per breuiorem iuris viam adeundis ingenium! O liberalitatem auaram sine sordibus, dolum, sine fraude quæstuosum, largitatem omni prædicatione, laude, literis, monumentisque vbique gen-

tium

tium honorandam! O conditiones pactorum ad amussim impletas! O fœneratorem diuinum, cœlestia cambia, pulcherrimas ad æternitatem non ad decennium emphyteuses! *fecit* autẽ quando viua ægrorũ cadauera fouit; extinctos pijs manibus tumulo intulit, æternas sub terra honoris laminas reperturus. *Fecit* quando ducentos, *fecit* quando quingentos vno pane refecit ad prodigium vsque prodigus. Addidit verò ad illa iuris verba, *do*, & *facio*, etiam *patior*; nam vt vi cœlum expugnaret studiosus iuris IVO, carne, vinoque velut Veneris lacte abstinuit semper Virgo; Statis ieiunijs panem tantùm in cibum, in potionem frigidam adhibuit; *Fecit* cũ quinque, aliàs verò septem dierum spatio orans inediam tolerauit. Ita Gigantes vi Cœlum oppugnant, & montibus; ita IVO quem mater nec dum natum Gigantis specie viderat, Cœlum vi expugnauit, & ijs, quos nunc dicimus montibus pietatis. Somnus illi nec longus, nec mollis, lectus humi, sarmenta puluinar, ceruical fuit sacer Dei codex. Singula hæc integram postulant orationem; at nos ius IVONIANVM compendiarijs tantùm pandectis describimus. Reliqua, quæ tempus non capit æternitati relinquimus peroranda. Hinc illi ius à Deo datũ in Dæmones, & in omnia elementa IVONIANIS impleta prodigijs. Iam verò diuinis conuiuijs promissorum æternorum honorum pignus ad aras cũ faceret accipiebat quotidie, radio etiam, & globo igneo coronatus. Taceo sæpè illi amicos Angelos futurorum honorũ nuncios, sæpè ipsum illorum Dominum adfuisse; nec rarò IVONEM in Cœlum iure quasi possidendum etiam cum corpore subuolasse, vsque dum se ipsum testamentarijs tabulis legauit hæredi Deo, & testamentum

morte

morte absoluit, & abijt coronario diademate honorandus. Et quia Patres conscripti sua olim nomina in diademate capitis literis aureis gerebant inscripta, inter signatos in frontibus Dei Seruos, Patresque conscriptos cœlestis Reipublicæ inscriptus est IVO.

Ita ille arte diuinà eburneas duodecim tabularum leges, lapideo legum decalogo; Papyrianum, Flauianumq; ius, Diuino iuri; iuris templum, vt Iustinianus vocat, Dei templo coniunxit, vt *corpus iuris* animæ nil obesset. Ita sparsam in duobus librorum millibus longè, ac latè iuris prudentiam in crucifixi Dei pandectis omnia continentibus, velut in absolutissimo legum omnium breuiario collectam legebat. Legebat in *capite* Crucifixi, *verbo* verbum caro, *lege* de testamentis, vetus, ac nouum æternumque testamentum testatoris morte perfectum: videbat deletum infuso sanguine mortis chirographum, scriptam vitæ syngrapham, & in illo morientis vitæ libro rationes æternas, *Porphyrogenitas* in cruentis vulnerum *rubricis pandectas:* quas ad tria verba sic reuoco: *Dare, facere,* & *pati*, & sic honores æternos adire per viam iuris, atque iustitiæ, IVONIANVM est, cui pandectarum omnium instar iam est is, qui vnus omnia continet Deus. Dixi.